



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118340**

§. 64. Dissidia inter Pontificem & Neapolis Regem innovata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

**Sæcul. XV.** jazethis potestatem redigendam exerci-  
**A.C 1487.** tum effundi posse promittebat, eoquod  
 Principes in varia diffidia scissi essent. Nec hisce ad Magistrum Rhodiorum literis contentus erat Innocentius, sed in super Julianum Cardinalem cum Pontificio exercitu ad cingendam Auxinam Urbem submitit, eique Ducem Jacobum Trivultium cum mille equitibus adjunxit; Ludovicus quoque Sfortia & Cardinalis Balves subsidiarios milites adduxere; verum cuncta hæc consilia incassum ceciderunt, eoque necessitatis eventum est, ut cum Bucolino de conditionibus pacis agere oportuerit. Itaque Laurentius Medicæus misso hanc in rem Episcopo Aretino septem aureorum millia Bucolino pollicitus est, ea lege, ut Auximum Romanæ Ecclesiæ restitueret, & a Turcarum foedere discederet. Bucolinus acceptata conditione ad Laurentium de Medicis Florentiam perexit, a quo admodum liberaliter exceptus est; a Mediolanensi vero Duce accitus suspensio affectus, debitas pœnas luit.

## §. LXIV.

*Diffidia inter Pontificem & Neapolis Regem innovata.*

**Sarita l. 20.** **H**oc Anno Ferdinandus Neapolis Rex  
 4. 66. affiduo in Papam odio stimulatus,  
 præci-



præcipuos Romanæ Ecclesiæ Proceres ad convivium, aliasque animi oblectationes accivit, eos tamen ibidem insigui profusus perfidia trucidari jussit. Innocentius quidem hujus crudelitatis omnino ignarus erat, minime vero eum latebat, quod Rex continuo in eum, suosque amicos odio flagraret, unde die octava Julii datis literis Regem paterna charitate admonuit, ut in obsequium rediret, nihilque adversus Romanæ Ecclesiæ vassallos præter fas statueret. Verum Papæ monita Ferdinandi crudelitas prævenerat: quippe corpora Procerum, quos adeo perfide necaverat, jamjam in mare projecerat, ne tamen populi odium atque invidiam in se provocaret, atque a se omnem patratæ cædis suspicionem amoveret, quotidie cibos ad occisos inferri jussit, perinde ac si adhucdum vivi in carceribus detinerentur. Pontifex, quem non minus atrox Regis facinus quam dolosum ejusdem commentum latebat, nuncium Apostolicum decrevit ad Episcopum Cæsensem, eo fine, ut Proceres, quos Papa sæculari judicium potestati permittos arbitratur, in libertatem vindicaret, cunctaque judicii acta contra eos edita rescinderet, intentatis etiam censurarum Ecclesiasticarum poenis. Epistola Papæ ad Episcopum data est die vigesima quarta Julii. Idem quoque

Sæcul. XV.  
A. C. 1487.

Onuphr.  
Pan. in Innoc. VIII.



Sæcul. XV.  
A.C. 1487.

que Nuntius negotium accepit, ut Ferdinandum ad vectigal Romanæ Ecclesiæ pendendum urgeret: Verum ille a Rege nil nisi durissima retulit verba, qua indignitate Pontifex summe commotus, Ferdinandum regno exiit, ad quod occupandum Galliarum Regem, qui illud sibi legitimo ex jure competere contendebat, evocavit.

## §. LXV.

*Hispanorum victoria de Mauris.*

*Surita l. 20.  
c. 70.  
Marian. hist.  
l. 25. c. 10.*

Interea Ferdinandus Arragonum Rex totus in eo erat, ut Granatæ regnum suo subjiceret imperio, nilque propius esse videbatur, quam ut Velis urbs ad incitas redacta in Regis potestatem veniret, cum ecce! Muleyus Adolescentis Regis patruus cum quinque vel sex equitum & plusquam viginti peditum millibus in auxilium accurrit; nihilominus Hurtado de Mendoza, qui Hispanorum copiis præerat, recentem hanc militiam aggreditur, ruptisque hostium ordinibus Mauros cædit, fugatque, ipsumque Maurorum Regem cum residua exercitus sui parte Almunecaram se se recipere compellit; cum autem is loci hujus securitati diffideret, primo Almeriam, demum Gaudicem aufugit. Hac Patruis absentia Rex Juvenis Mahometes Boabdiles opportune

*Gaudin*